

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA,

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis tertiâ Decembris 1705.

M. LUDOVICO GUILLOT, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An hystericis volatilia?

I.

MORBUS, quem hypochondriorum tensio, murmur in ventre, respiratio inæqualis & impedita, suffocatio in gutture, oculorum inversio, ἀφωνία, ἀκινησία, & motus convulsivi in facie & artubus excitati comitantur, hystericus dicitur. Periculosus quandoque est ille affectus; &, nisi ejus vires retundantur, afflictas mulieres enecat. Circa originem hujus morbi alii aliter sentiunt. Neoterici quidam contendunt in affectu hysterico sanguinem tenuiorem & flatulentum, ubi motu majore in vasa pulmonum & cordis confertim influit, in iisdem non sine impetu ebullire, & ita pulmonum & cordis substantiam infercire & aggravare, ut solitis motibus obeundis minimè sufficiant, sanguisque in ejusmodi vasis moras nectere cogatur, & vix ex iisdem possit erumpere. Hinc oppressio, respiratio difficilis & sæpenumero nulla cum spirituum deliquio; hinc totius microcosmi pravæ diatheses oriuntur. Alii vero causam passionis hystericæ tribuunt vaporibus, ex utero per venas, arterias, & cæca, nescio quæ, spiracula exeuntibus, quorum operâ, facultates læduntur, functiones intercipiuntur, quasi uno ex utero tanquam ex Pandoreâ pyxide, tot symptomatum infortunia prodirent, & ipse uterus omnium fermè morborum muliebrium esset parens, malorumque omnium sexui sequiori minitantium, ilias; scilicet juxta illos, idem, qui ova progenerat, uterus, qui eadem fœta fovet, qui

ex ovis puero prodeunti, quo vitam ſuſtentet alimentum, quo temperetur aërem, ſupeditat, is ipſe nihil non molitur, ut parentes peſſumdet.

I I.

VERUM quam procul à ſcopo aberrent, indè liquet, quod ſanguis tenuior per vaſorum tubulos facilè dilaberetur, & ſi id minus contingeret, ſaltem notam ſibi, tritamque viam eo faciliùs ſequeretur, quo tenuior, magiſque eſſet agitatus. Neque veroſimilius loquuntur, qui hyſtericæ affectionis cauſam, in vapores ſublatos & uterum è loco moventes, inſtar globuli cujuſdam refundunt. Qui enim fieri poteſt ut uterus, in anguſtiis hypogaſtricis, inteſtinum inter rectum & veſicam urinariam interclusus, & quatuor ligamentis omni ope oſſibus pubis & ilei alligatus, poſſit ſurſum aut deorſùm ferri? Inde tutior videtur aſſertio, ſanguinem viſcidiorem & craſſiorem hujuſmodi ſymptomatum cauſam eſſe: Siquidem palpitatio cordis, & ſyncope, quæ in his morbis ſuperveniunt, ab ejuſmodi ſanguine oriuntur. Ubi enim ſanguis majorem viſciditatem atque conſiſtentiam ſibi comparavit, ſi nimiâ corporis agitatione ad cor confluit, omnes ipſius meatus occupat, & fibris adeo graviter inſidet, ut licet vehementer contrahantur fibræ, viſcidum illum ſanguinem unâ ſyſtole non procul è corde expellant, nec in pulmonum tubulos totum protrudant; & ſic neceſſe eſt, ut ſanguis circa cordis ventriculos hæreat; Unde continuò irritatæ fibræ vehementiores ac celeriores contractiones edunt, ut quod ipſis moleſtum eſt, altius propellant, & exturbent. Simili ratione in ſyncope, omnes ſimul collabuntur vires, ægræ concidunt ſine ſenſu, ſine motu, arteriarum exigui, & imbecilli pulſus exiſtunt, ſpiritus fere intercluditur, quod craſſo ſanguine, cor & arteriæ ita obruuntur, ut ipſius circuitum minimè promovere valeant. Imo ab eodem ſanguine ſpiritus nervos permeantes ſufflaminati, teneriores membranas commovent, vellicant, ſucceduntque tenſio, oculorum gyratio & ſimilia ſymptomatum genera. Neque ſemel obſervatum eſt paſſiones hyſtericas à ſubito terrore, ingenti triſtitiâ, aliiſque animi pathematibus, in quibus à circuitu ſanguinis interturbato, cerebri incolæ ſpiritus affecti fuerant, exortum ducere; humores quippe vitioſi, intra caput uberius congeruntur, & in extinctarum cadaveribus, nervorum principia ſero acri madida, ac prorſus immerſa deprehenduntur, ex quibus paſſiones hyſtericas naſci judicandum eſt; quod ſpiritus nervorum principia occupantes, viſcidi ſanguinis copiâ obruantur, & in confuſionem agantur ab heterogeneis humoribus, quos ſecum per nervorum ſyſthema longè deducunt, adeoque motus cient ſpaſmodicos.

I I I.

QUA arte irritati à ſanguine ſpiritus, exploſivos motus excitare valeant, cuivis abunde patebit, qui penitius fuerit perſcrutatus ſymptomata hyſtericos affectus concomitantia, qualia ſunt vomitus,

borborygmi, ſtrangulatio, debere ſuam originem materiis viſcidis, acribus in ventriculo deliteſcentibus, quæ ſanguini commixtæ ſuam ipſi labem impertiunt, & ſpiritus ad exploſionem praternaturalem faciendam aptos efficiunt. Unde enim in vomitu, motus ventriculi convulſivus, quo ſimul fibris vehementer contractis, contenta omnia foras ejiciuntur, niſi à majori copiâ, ſalinarum chiloſæ materiæ partium; quippe quæ cum acidiores ſint, fibras ventriculi nerveas irritant, quarum irritatione, ſpiritus ad cerebrum reflui, ſuo cum phrenicis nervis aliiſque ad muſculos abdominis pertingentibus commercio, muſculorum contractiones augent, vomituique fores pandunt. Nonne etiam borborygmi motum arguunt materiæ intra inteſtinorum cavitatem contentæ, quam parit vitiata alimentorum fermentatio, in quantum aër intra alimentorum ſubſtantiam contentus, debitæ fermentationis in inteſtinis & ventriculo defectu, diſſolvitur, molemque ſuam expandit. Quæris cur laryngis muſculi, ita ſeſe contrahant in hyſtericis affectibus, ut mulieres ſuffocari videantur. Quaſi eædem particulæ ſalinæ & auſteræ è ventriculo per æſophagum excurrentes, membranam muſculos cooperientem non concuterent & contraherent. Quid mirum quod ſpiritus animales, quorum partes ſunt ſubtiliſſimæ, cum noxas quaſvis aliunde ſibi allatas facilius admittunt, & in amplexus ſuos ſuſcipiunt, ejuſmodi imprægnati acribus materiis, ſeſe expandere nitantur, inque ſuis expanſionibus faciendis, convulſivos motus pariant? An autem ad cauſam morbi attenuandam & eliminandam, volatilibus remedium præſentius?

I V.

PASSIONUM hyſtericarum cauſas & ſymptomata recenſita habes. Earum radices evellere iam meditaris. Ne illas ſinas ſerpere, quas ſola vis valet frangere. Quod in acutis Venerandus ſenex obſervari voluit, dum initio movendum, ſi quid movendum ſit, jubet & clamat, de hyſtericis dictum fuiſſe dixeris, qui & incipientem paroxyſmum, & iniquius agentem in decurſu morbi obſervare non es dedignatus; à majori quiete partium, quibus conſtat ſanguinea moles, majorem viſciditatem & conſiſtentiam fuit adeptus ſanguis, ab illo ſanguine uti prius dictum, involuti ſpiritus ſeſe extricare conantur, in ἀνομαλίας adiguntur, & convulſiones faciunt, iis inſiſte, quæ molem infringant, motum augeant, & ſanguini ſuam reſtituant fluiditatem. Quid aptius volatilibus, quæ fermentationem accelerant? faciliori negotio principia omnia ſanguinis penetrant; ea à ſe invicem ſeparant: Ad illa tanquam ad ſacram anchoram confuge, illorum ope omnem paginam adimplebis, celerius movebitur ſanguis, liberius permeabit thalamos & anfractus cordis, pulmonumque tubulos, hærere atque cumulari deſinet, augebuntur ſpiritus, facilior eorum erit influxus, ſolidarumque partium elater longe firmior evadet. Volatilibus ſi parcas, do-

lores in abdomine & lumbis atrociores, paroxyſmi convulſivi graviores, difficilior reſpiratio, & oppreſſio erunt. Cætera omnia recrudeſcent. Pax ubique reddetur, pulſo foras volatilibus hoſte.

V.

DUM craſſiorem attenuare ſanguinem volatilibus paras, cave prudens ſis in exhibendo, cave tempus & occaſionem captes. Sedulo explora ventriculi & inteſtinorum ſortem. Si humoris viſcoſi & acrioris ſaburrâ ventriculi tunica inferciatur, tum primas expurgari vias decet aut leniori catharſi, aut ipſo emetico, ſi nauſeabunda ſit ægra, vireſque ſuppetant. Dum prudentem te volo, à venæ ſectione nimium abhorrentem te nolim. Illa te tutum, te cautum, te ſapientem faciet. Huic, ſi plenæ venæ tument, huic, ſi ſuppreſſus catameniorum ſanguis, mali labem arguat, huic, ubi rutilans facies, flammea oculorum acies, arida linguæ ſuperficies, parta victoria debetur; facilius partes heterogeneæ ſecedent, felicius ſuccedent volatilia, quæ tamen ne indiſcriminatim præſcribenda exiſtimes. Suavia volatilia Moſchus, Roſæ, &c. Acido quo præpollent, ſpiritus à ſuis muneribus avertunt, & ipſos ad exploſionem paratiores, in motus inordinatos provocant, atque velut admotæ ſcintillæ accendunt. Graveolentia vero ut Galbanum, aſſa fætida, caſtoreum, plumæ perdicum, vetera coria combuſta, ſpiritus volatiles C. C. ſalis ammoniaci, ſale ſuo acri volatili alkalino, palantes ſpiritus reducunt, in ordines cogunt, ex iis viſcida excutiunt & profligant.

Ergò hyſtericis volatilia.

Domini Doctores diſputaturi:

M. Joannes Gelly.	*M. Alexander-Petrus Mattot.*	*M. Abrahamus Thevart.*
M. Michaël Sauvale.	*M. Claudius Bourdelin, Sereniſſimæ Duciſſæ Burgundiæ Medicus perpetuò ordinarius, & Regiæ Scientiarum Academiæ ſocius.*	*M. Claudius Quartier.*
M. Claudius Burlet, è Regiâ Scientiarum Academiâ.	*M. Joannes-Franciſcus Foy-Vaillant, è Regiâ Numiſmatum Academiâ.*	*M. Petrus Perreau.*

Proponebat Pariſiis JOANNES-BAPTISTA MONGIN Regulenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1705.

Apud Viduam Franciſci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typog.